ENGELBERTUS ADMONTENSIS
Klosterneuburg, 1384 Seite 90r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=237
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Si uis scire nulla pena quanta sit pena audi psalmum dicentem quod secundum multitudinem ire sue non queret quia parcit hic reprobis ex multitudine ire et punit electos ex multitudine misericordie. ¶ Non mala autem nisi sed bona ad aliud utilia sunt bona nec uel fortune quibus possumus et bene et male uti. Unde de usu ipsorum in bonum dicitur ad Romanos. Scimus quoniam diligentibus deum omnia cooperantur in bonum etc. De usu uero in malum dicitur ad Colossenses ii. Hec omnia sunt in interitum ipso usu. ¶ Bona autem nisi ut delectabilia et bona insuper propter aliud ut utilia sunt uirtutes que quidem delectant habentes eas et insuper sunt utiles ad opera meritoria quibus caritati fuerint informate. Unde Sapientie vii. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa etc. ¶ Bonum igitur est mihi quod humiliasti me id est afflixisti me. Ita enim dicit translatio ad uerbum. Bonum mihi quod afflictus sum scilicet non propter ipsam penam afflictionis que in se amara est et dolorosa et pro tanto non appetenda ut bona sed fugienda ut contraria sed propter hoc quod sequitur ut discam iustificationes tuas. Sicut uerga bona est scolari ad erudiendum et discendum quia sicut lex non sunt uerga discipulis a puris. Sic iustificationes dei quantum ad prima elementa sua non discuntur ab incipientibus et proficientibus sed tribulationis pena quia optime discuntur per experientiam. Unde ad insinuandum teneritudinem imperfectionis illorum qui per flagella presentia reuocantur et erudiuntur et corriguntur et purgantur. Scriptura comparat flagellatos filiis tamquam paruulis. Non omnis enim filius flagellatur a patre sed paruulus et adolescentulus. Prouerbiorum ii. Flagellat omnem filium quem recipit. Unde Augustinus in libro de disciplina christiana. Ideo uapulasti ut discas et qui te amabat ad penas ut discas trahebat. Vapulare igitur ut discas non est odientis sed amantis. ¶ Et notandum quod cum flagella electorum sint ad uitas effectus scilicet ad reuocandum aduersos corrigendum peruersos et purgandum maculatos ut patuit superius precipue gratulatur de illo effectu qui est eruditur ignorantes uel nescios in eo quod dicit. Bonum mihi quod humiliasti me ut discam etc. quia nec reuocaretur nec corrigeretur nec purgaretur per flagellorum penam si non recognosceret disciplinam et non sustineret per patientiam

quia non uniuersaliter quantum ad tribulationes inflictas consistit in sola uoluntate ex gratia patientie tollerante quia non inuitus patiens sed humiliter tollerans meretur per passiones. Quod bene innuit translatio communis que per afflictionem semper ponit humiliationem quia perpessio doloris minuit carnis lasciuiam quod innuit uerbum afflictionis et deprimendo mentis extollentiam inducit humilitatis gratiam quod insinuat uerbum humiliationis ii. Corinthiorum xii. Ne magnitudo reuelationum extollat me etc. Quia enim superbia decipit et infatuat recte per oppositum humilitas instruit et informat. Prouerbiorum xi. Ubi humilitas ibi sapientia. Humilitas autem est uirtutum consuetudine et per consequens perseuerantie coadiutrix et pro tanto bonum est mihi quod humiliasti me scilicet ad gratiam perseuerantie est mihi utile quia afflictio humiliat. Humiliatio uero est causa humilitatis. Humilitas autem perseuerantie quod patet in angelo qui non perseuerauit ex superbia que sola ipsum deiecit. Unde Augustinus de uerbis domini liii. Audiat superbia edocta experimenta quod retinere noluit docta precepta. Docuit enim miseria eum quem felicitas sui fecerat negligentem. Scilicet angelum in celo et hominem primum in paradiso. Unde quod dicit. Bonum mihi quod humiliasti me etc. Patet secundum hunc sensum referri in ad primum hominem et in ipso ad naturam humanam humiliatam ex deiectione per peccatum in statu miserie et hoc non causaliter sed occasionaliter fuit bonum humane nature quia per peccatum lapsa et per christum reparata in altiorem statum glorie destinata est quam fuit status innocentie secundum illum sensum sicut dicit Gregorius loquens de hac materia. O felix culpa per quam talem redemptorem accepit natura etc. Et secundum hoc quod subdit. ut discam iustificationes tuas. Intelligitur non solum de iustificatione prima qua de impio fit iustus et de illa qua de iusto fit perfectus. Sed et de illa qua de perfecto fit consummatus in gratia et gloria.

Humilitas

Bonum mihi lex oris tui etc.

Recognita gratia diuine mansuetudinis circa intentionem et causam et effectum sue humiliationis in uersu precedenti. Nunc ultimus ex hoc finaliter concludendo intentionem et continentiam huius Octonarii congratulatur sibi ipsi quia iam consolato congau